

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA  
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08  
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT  
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## UBI SINT PRISTINA FRAGA...

Praeteriti temporis si spatium respicio, recorder me fragorum avidissimum fuisse. Ante triginta circiter annos mense Maio et Iunio ipse mercatum adibam et expertus inspiciebam in singulis tabernis multos fastigatos fragorum acervos, quorum diversitas miranda erat: fraga minora, maiora, candidiora, fusca, rotunda, oblonga, turbinata, quin etiam forma cristae galli! Quam sapida erant et quali varietate! Postea regimen edixit ne fraga divenderentur nisi in fiscinis certi ponderis disposita propter vectigalia exactius percipienda. Sic de tabernis disparuerunt attractivi fragorum acervi. Quod tantum fuit initium noxae.

Aetas industrialis nostra poscit «productivitem». Quare artificiis variis decursu annorum aucta est plantarum ubertas atque simul agricolarum quaestus. Gaudeat beatus populus: longius, quin etiam continuum, factum est tempus fragorum, multo maior facta est eorum copia minusque pretium. Sed infeliciter omnia fraga nunc eundem habent aspectum atque sapiunt quasi sint vesicae aquariae. Quis tamen tuniorum scit qualis fuerit sapor pristinorum fragorum?...

Multa eiusdem generis exempla afferre possum, quibus demonstratur «Progressum» (qui deus hodie maxime colitur) non solum meliora sed etiam peiora gignere.

Fortasse nimis diu videor de rebus humillimis tractavisse, sed hoc demonstrare volo quod iisdem de causis qualitas in annos peior fit in institutione scholari, de qua nunc nonnulla referam.

In Francogallia (idem mox fiet in Belgica, ut solet) nova proposita excogitavit Consilium Nationale Programmatum (scholarium). Quae proposi-

ta, nunc divulgata, perterrent eos raros, qui adhuc de institutionis qualitate curent. Unus eorum, professor Alanus Michel, de his propositis animadversiones suas divulgat in primo fasciculo anni 1991 commentariorum periodicorum q.t. Bulletin



*VIGILIA PRETIUM LIBERTATIS. Haec sententia Latina coniuncta est cum insigni Organizationis Foederis Atlantici Septentrionalis (NATO-OTAN). Nihil mirum, cum Americani sententias Latinas semper amaverint. Ipsa enim res publica Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis Latinam sententiam habet, quae est "E pluribus unum".*

de l'Association Guillaume Budé; quas animadversiones, assentiente toto Associationis Budé consilio, etiam ad Administrum Educationis Nationalis misit.

In suis novis propositis Consilium Nationale Programmatum eo spectat ut pauciores fiant discipuli qui repulsam in examinibus accipiunt; dicit tamen se generalem mentis culturam, quin etiam Latinum et Graecum, fovere velle. Sed re vera proposita non congruunt cum hac voluntate.

Iam a primo anno cycli secundarii instituere vult quattuor ordines separatos: scientificum, oeconomicum, litterarium, technologicum. Optio linguae Latinae et Graecae discendae solum in ordine litterario praebetur. Ergo non solum in ordine litterario institutio Latina non erit obligatoria, sed etiam in ordine scientifico vel alio linguam

Latinam addiscere iam non licebit! Horum propositorum effectus erit specializatio discipulorum rigida et praecox, id quod maximo damno erit formandae iuvenum menti et scientificae et civicae. Valde miratur prof. Alanus Michel quod in natione quae dicitur libera fieri iam non poterit ut libere eligantur materiae discendae.

Iam saepe clarus epistemologus Michael Serres monuit nimis angustam specializationem re vera esse barbariem.

Deteriora fraga, deterior institutio iisdem de causis. Omnibus felicitatem sine labore promittere, hoc est hodiernorum politicorum praeconium electorale. Non mirum si species potius quam res praebet. ■

Gaius LICOPPE

---

## PROGRAMMA SYMPOSII LATINI

AUSPICIIS MINISTERII PUBLICI REI INSTITUTORIAE PARISIIS IN INSTITUTO FINNICO HABENDI

De themate quod est: "De lingua Latina Europae vinculo - Aspectus historici et problemata contemporanea" tractabunt 15 oratores undique Europae etiam orientalis oriundi.

**Die Veneris 25 m. Octobris anno 1991**

15 - 19 h.: fient acroases;

19 h.: Iaakko Numminen, Cancellarius Ministerii Finno-Instutionis Publicae, participes Symposii magnifice recipiet;

20 h.: fiet concentus musicus, ubi chorus Finnicus c.n. "Milites pauperes" cantabit pias cantiones scholasticas veterum episcoporum Finno-Instutionis.

**Die Saturni 26**

10 - 13 h.: acroases;

13 - 15 h.: pausa prandio sumendo;

15 - 17 h.: acroases;

17 - 19 h.: generale apud mensam rotundam colloquium;

19 - 20 h.: pausa escaria;

20 h.: Plautinae Rudentis comediae pellicula cinematographica monstrabitur.

**Die Solis 27**

10 h.: conclusiones, nova proposita et receptio valedictoria.

---

## IN MEMORIAM

AMICI NOSTRI MARCELLI COOREMAN

Magno cum stupore didicimus amicum nostrum Marcellum Cooreman Bruxellensem inopinanter mortuum esse propter calamitatem viariam, cum quadraginta tantum annos natus esset.

Iam diu nobis erat notus; a Fundatione Melissa condita, cum primi Melissa fasciculi timide divulgarentur, statim factus est non solum subnotator

sed etiam propugnator: nam quavis occasione, quolibet coetu utebatur ad homines de Latinitatis momento monendos. Si quis vestrum Bruxellis in virum aliquando incidit, qui folium Latinum ei dedit, fuit ille. Erat vir benevolus, vere affabilis et iocosus.

Marcelle, sit tibi terra levis.




# DE MUSEO COLONIENSI

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

(Tertia pars)

## OPUS MUSIVUM PHILOSOPHORUM



Primum Romanorum opus musivum Coloniae repertum illud est philosophorum anno p.Chr.n. 1844 ad lucem prolatum, cum hospitium municipale aedificaretur. Pavimentum e multis formis geometricis compositum septem regulas continet hexagonales imaginibus dimidiatis septem virorum Graecorum sapientium antiquitatis repletas. Tempore effossionum duae regulae hexagonales vacuae erant quas tertio iam p.Chr.n. saeculo deletas esse verisimile est. Magistratibus Coloniae curantibus pictor quidam c.n. Ramboux duas imagines scilicet Platonis Aristotelisque dimidiatas in museo Vaticano copiatas lignario musivarioque Coellen tradidit qui illis delineamentis pictoris

usus duas novas imagines dimidiatas tesseriis versicoloribus compositas - Platonis Aristotelisque - regulis vacuis insereret. Pro dolor sine magno successu: deest vigor splendorque colorum Romanorum.

Bello secundo mundano opus musivum iterum multum est passum: aeriis coniectibus aeroplanorum multis artificii partibus destructis sive laesis denuo refectionibus erat opus, ita ut hodiernis diebus vix dicendum sit, quae partes sint vere Romanae, quae sint «emendationes» ut ita dicam saeculi praeteriti, quae sint reparationes nostrae aetatis. Valde dolendum est damnum non esse resarciendum.

Totum artificium multis variis componitur formis geometricis: triangulis, quadrangulis, trapeziis, rectangulis, septem hexagonis unoque gyro.

Ille septem hexagona septem occupantur imaginibus dimidiatis hominum sapientium antiquitatis sexti, quinti, quarti a.Chr.n. saeculorum. Repraesentati sunt: Socrates, Platon, Aristoteles, Diogenes, Cheilon, Kleoboulos, Sophocles. Iam in antiquitate homines quaestionem vehementer discutere solebant, quis esset vir sapientissimus.

Diogenes philosophus, qui hominibus frugalitatem sobrietatemque praedicare solebat, in domo habitare recusavisse cupamque fictilem praetulisse dicitur. Illum ergo gyrum Diogenis cupam repraesentare verisimile est.

Quod attinet ad materiam tesserarum: musivarii marmore, lapide calcino, terra sigillata, lapidulis vitreis utebantur. Talibus tesseriis e vitro fuis speciatim in vestimentis fasciisque tortis repraesentandis opus erat.

Mirum in modum illi septem viri sapientes Graeci antiquitatis Graecae vestiti sunt more Romanorum tertii p.Chr.n. saeculi: peccatum in temporis ratione notatu dignum.

Quamvis illud opus musivum et incendio et

bello et malis restitutionibus graviter passum sit, nihilominus musei Coloniensis exornat conclave, ut animo praecipiamus qualis Coloniae tertio p.Chr.n. saeculo fuerit elatior vitae habitus frequentioribus Germanorum imminentium irruptionibus.


### PICTURA MURALIS

Tres parietes opus musivum philosophorum saepientes anno p.Chr.n. 1969 iuxta sinistram ecclesiae cathedralis turrim meridionalem ad lucem sunt prolati. Tali modo conclave 8,30 metra longum, 4,20 metra latum, 3 metra altum opere musivo ornatum restitui potuit.

Tapetia e charta confecta in antiquitate nondum erant nota.

Domo aedificata parietes generatim tribus arenatis induebantur quorum tertium c.n. arenatio crebro marmor erat in subtilem farinam comminutum. Colore rubro illiso parietes virgis nigris directis libratisque separativis tenuibus subdividabantur. Virgae latae libratae inferiores parietum in domibus divitum nonnumquam laminis marmoreis tegebantur; generatim autem cives illas hyperbasis zonas more modestiore ornandas curabant: pictores in illis partibus inferioribus impensarum causa marmor coloribus imitari solebant.

Tali modo quaedam discriptio partium est ef-



fecta. Pictura muralis apud Romanos ars erat in udo tectorio pingendi: parietes donec umidi erant coloribus illinebantur glutino adiuncto. Glutinum auribus boum coctis producebatur semperque necessarium erat in coloribus praeparandis: fuligo enim, carbo ligneus in farinam comminutus, oxydum ferri (= ille color «ruber Pompeianus») ad parietem non haerent, igitur glutinum necessario iis erat admiscendum.

Colores virides et caerulei ex Italia respective ex Aegypto erant importandi. Quoad colorem album pictores calcio carbonico utebantur.

Iuxta virgas nigras directas columnae graciles capitulis Corinthiis coronatae epistylum fulciunt in quibus cygni, grypes, citharae Apollinis donaria, itemque Sphingines, vasa metallina, armaria, personae histrionales aliaque sunt repraesentata. Extrema parietum latera viridi arundine sunt ornata in virgis nigris.


In virgis nigris directis candelabra caulibus latis umbellisque planis figuras portantes sunt depicta.

In summa dextra virga nigra Dionysus cum duabus pantheris vinum a deo profusum lingentibus est repraesentatus.

In umbella candelabri inferiore: duae harpyiae, hybridae, partim virgines partim volucres.

Parti superiori virgae nigrae centralis pictor vindemiam illevit: tres Cupidines satyrumque uvas decerpentes. In sinistra pariete Pani compluries occurrimus pedibus caprinis, cornuto, itemque Bellerophonti cum Chimaera conflictanti.

Tales imagines in voluminibus specialibus pictae a pictoribus domuum patronis praebebantur, qui ex iis eligerent quae placerent.



Quattuor erant structurae artisque genera Pompeiana, quorum tertium simplicitate excellit. Picturae murales Rhenaniae tertio generatim adiudicari possunt structurae artisque generi Pompeiano anno circiter 15 a.Chr.n. orto.

Candelabra saepe e vasis excrescentia umbellulis praedita spectatim in provinciis caurinis Imperii Romani inventiuntur.

Historiunculae persaepe in virgibus nigris libratis sunt pictae. Systemata obligatoria ordinum talium serierum imaguncularum non exstabant.

Coloniae Claudiae multae tales picturae murales sunt repertae, quamvis unius tantum domus exemplar expositum sit in Museo Romano-Germanico bello enim mundano praeterito multis talibus picturis pro dolor deletis.

### VASA VITREA PRETIOSA

Vitrum prima est materia facticia ab hominibus procreata. Maximus progressus technicae huius artis abhinc nonnulla annorum milia a vitreariis factitatae tempore belli Gallici a C.I. Caesare gesti est assecutus. Illis enim annis in Syria - sunt qui dicant in Palaestina - tubulus flaturalis est inventus. Illius inventionis gratia ut C. de Benedetti et C.D. Harden exponunt in praefatione catalogi praestantissimi illius expositionis c.n. «Vasa vitrea Caesarum» (Coloniae, 1988), vasa vitrea omnium formarum extremaeque munditiae materiae effici, rationes opum gignendarum efficaciores reddi, impensa productionum minui, qualitas vasorum vitreorum augeri potuerunt.

Toto orbe terrarum adhuc centum milia vasa vitrea Romana sunt servata - pars sane perexigua omnium vasorum a Romanis effectorum.

Caesarianis temporibus vasa vitrea flando aut sine formis aut flando in formas politas respective in formas ornamentis exsculptis ornatas producebantur.

Ante tubuli flaturalis inventionem fila vitrea circum massam ovatam ex argilla confectam circumvolvebantur; calore filorum amisso argilla spatulis ex tali vase vitreo exterebatur. Erant quoque vasa vitrea quae e massa vitri solidi exterebantur.

Inde ab illo tempore competitio exorta est commercialis inter vasa vitrea et vasa fictilia metallinaeque.

Magna vitri emolumenta sunt impenetrabilitas, ut ita dicam, perluciditasque materiae; insuper vitrum perfacile est purgatu.

Vitro flando in vas iam flatum vasa complurium parietum confusorum effici poterant. Conatum vitreariorum Syrorum gratia primo iam a.Chr.n. saeculo omnes fere technicae nobis adhuc notae sunt evolutae. Centum circiter annis post tubuli flaturalis inventionem vitrearii tanti fuerunt

momenti in rerum oeconomicarum ratione, ut officinae vitariae non solum in regionibus circum mare nostrum sitis, sed etiam in omnibus Imperii Romani provinciis essent institutae.

Numerosae erant arenifodinae circum Oppidum Ubiorum sive Coloniam Claudiam sitae, ut materiae arenae optimaе qualitatis numquam esset inopia.

Prima vasa vitrea in officinis conflata aut fusa colore erant viridi aut subcaeruleo. Talia vasa paululo cariora erant vasis fictilibus militibusque inserviebant ad usum cottidianum. Vasa autem e vitro translucido confecta filisque aut guttis versicoloribus vitreis agglutinatis aut torno rotave acuta scalptoribus exornata longe pretiosiora testimoniaque erant ordinis socialis hominis sepulti.

Inde a secundo p.Chr.n. saeculo procreatio conditurae vitrorum celeriter aucta est variaeque officinae varias formas technicasque evolverunt.



Vasa et flata et formis iuvantibus effecta millies tantum in series procreabantur.

In Museo Romano-Germanico pulcherrima pretiosissimaque vasa vitrea Coloniae effossa exhibita sunt in sex armariis vitreis. Catini, lagoenae, lagunculae, patini, pocula; vasa translucida, versicolora, filis guttisque torno rotaque exornata. Celeberrima illa patera aurigatione in Circo Maximo Romano exornata. Et illud poculum proboscibus ornatum. Et ille porculus caeruleus minusculus destinatus ad liquores bene olentes asservandos. Extremum est, ut spectetis illud vas musei pretiosissimum: vas diatretum. Illa ornamenta

rotulis cypriis diligenter exterebantur e massa solida vitri. Vestigia exterendi microscopio adhuc sunt visibilia.

Diatretarii praesidio speciali fruebantur; muneribus municipalibus erant exsoluti. Emptoribus talium vasorum contractus commerciales cum iis erant paciscendi. Coloniae tria talia exstant vasa. Generatim 50 exstare putantur, immo vero in Italia septentrionali.

Anno 1841 Coloniae tria vasa diatreta sunt effossa, quorum unum adhuc exstat in museo,

secundum Berolini bello mundano secundo praeterito aeris coniectibus deletum, tertium Monacos translatum adhuc ibi exstat.

Permulta alia testimonia antiquitatis Romanae in Museo Romano-Germanico Coloniensi admirationi sunt visitoribus. Fieri non potest, ut de omnibus illis rebus hoc loco disseratur.

Annotandum est mystagogos musei perleges non solum Germanice, sed etiam Francogallice et Anglice exsequi. ■

## DE POETA LUCIANO BLAGA

SCRIPSIT IOHANNES LERIC DACOROMANUS

Lucianus Blaga (1895-1961), natus in Transilvanico pago Lancram, apud antiquum Romanum oppidum Apulum, praeclarus poeta, notus dramatum auctor et philosophus est.

Mirabili propensione, Vindobonae philosophiae studuit. Professor sapientiae in Napocensi Universitate et legatus in Polonia, Helvetia, Austria, Tsechoslovacia Lusitaniaque fuit. Anno 1937 sodalis Dacoromaniae Academiae electus est.

Notissimi libri carminis Luciani Blaga: *Lucis poemata* (1919), *Prophetae passus* (1921), *In magna transitione* (1924), *Laus somni* (1929), *Trivium fluminum* (1933), *Artis desiderii* (1938), *Inauditi gradus* (1943). Post mortem poetae, *Carmina* (1962), libelli carminis *Ferrea aetas*, *Carmen foci*, *Quid unicornuus audiat*, *Naves cum cinere*, et vasta narratio *Linter Charontis* apparuerunt. Etiam eius opera philosophica vasta et clara sunt.

Poetica Luciani Blaga altissima expressio sensibilitatis philosophicae in Dacoromanis litteris eius aetatis manet. Ab initio, poemata extensionem animi iuvenilis enuntiant. Postea, cosmicus sensus permotioque interiores sunt. Principalis fons pulchritudinis carminum in contemplatione sensibilis universi et in cogitatione constitit. In revelatione pagi ceu cunabulorum aeternitatis, amoris, naturae, in revelatione constantiae, absolutum nucleum mundi, qui post mortem permanet, poeta investigat. Affectus tranquillitatis animi, non pavoris ex eius carminibus nos invadit. Lucianus Blaga miraculum coniunctionis cum cosmicis afflatibus cantat. Lux divina initialis vis est. Cosmicus affectus humanae condicionis brevitati adversus est. Poeta humane et sinceriter vibrat.

Elegantia sermonis, pulchritudo verborum, comparationum metaphorarumque, inaequalis versus cursum poeticae cogitationis persequens,

carmini Lucini Blaga certam novitatem tribuunt. Lucis et creationis mandatum, opera ipsa auctoris fatum in posteritatem consecrant.

Nonnullos ex eius versibus, quos in Latinum verti, benevolis lectoribus propono.

### Spinae

Cum puer essem,  
silvestres rosas aliquando colligebam.  
Habebant spinas plurimas,  
sed eas rumpere nolebam.  
Credebam esse gemmas  
et fore ut florescerent.

Post tibi occurri. O, quam multae spinae,  
quam tibi multae spinae inerant,  
sed nolui te spoliare  
credebam fore ut florescerent.

Haec omnia hodie  
praetereunt me et subrideo. Subrideo  
atque persultans valles  
pererro afflante vento. Puer eram...

### Aestas

Horizonte - longe - silentia fulgura  
interdum palpitant  
ceu longi pedes aranei - evulsi  
ex corpore quod eos portabat.

Aestas.

Tota terra seges est  
et locustarum cantus.

In sole spicae suo pectore grana amplectuntur  
ceu puelli qui fellant.

Ac tempus momenta pigre tendit  
et inter papaveris flores dormitat.  
In aure eius cicada grillat. ■



# ... QUORUM OMNIUM FORTISSIMI SUNT BELGAE

SCRIPSIT ANDREAS FLOUR<sup>1</sup>

Omnis iuvenis Belga, superbia motus, plurima centimetra crescit cum, quindecim annos natus, in schola Caesaris laudem Belgarum discit. Paucis tamen Belgis notum est per multa saecula alias de praeclaro illo bello fabulas circumlatas esse, quae magis ornatae quoque et magis heroicae sunt quam commentarii ipsius Caesaris. Harum fabularum res mirabilissima est urbs quaedam, nomine BELGIS, prope fines Hannoniae sita, quam Caesar non nisi ingenti pretio sanguinis, temporis et laboris vincere consecutus est.

In fine XV saeculi liber apparet auctoris anonymi, Nederlandice scriptus: *Die Jeeste van Julius Cesar*, cuius unicum exemplar in Bibliotheca Regia, Hagae Comitum, servatum est. Huius libri fons principalis sine dubio est Iacobus de Guisia (Jacques de Guise, obiit 1399), ordinis sancti Francisci, auctor libri Latine scripti: *Annales historiae illustrium principum Hannoniae*. Qui Iacobus de Guisia chronicis etiam antiquioribus usus est.

In *Die Jeeste* res gestas Iulii Caesaris legimus quas homo sapiens saeculi nostri credere non potest. Sed avi nostri eas veras fuisse existimabant atque post nonnullos annos, circa 1550, auctor quidam novum et etiam mirabiliorem librum edidit: *Eene schoone Historie van Iulius Cesar / Pulchra historia Iulii Caesaris*. Cuius libri una tantum editio (anni 1654) superest, editio quam populus valde amabat, quia iterum iterumque impressus est liber usque ad saeculum praeteritum et apud plurimos editores.

Sed etiam hic liber non est summa summarum! Anno enim 1574 alius liber in lucem editur, Marci cuiusdam Van Vaernewyck: *Die Historie van Belgis, diemen anders naemen mach de spiegel der Nederlantscher audtheydt / Historia Belgis, quae alias nominari potest speculum antiquitatis Batavorum*.

Liber ille fons factus est multorum carminum quorum unum, manu scriptum, in Bibliotheca Universitatis Gandavensis servatur (Hs 1485, fols 19v-22r). Carmen, cuius titulus est *Een nieuw liedeken van Belgis*, historiam narrat urbis Belgis a Caesare obsessae, occupatae et dirutae. Incipit narratio ab urbe condita a rege qui Troia fugit et per mare meridionale (i.e. Zuiderzee) et flumen Mosam in regiones nostras pervenit. Anno ab initio orbis terrarum 4046 Bavo condit urbem quam Belgim appellat, idolo Bel dedicatam, apud fines Hanno-

niae. Sed ad Caesarem revertamur: Iulius, senator, a Romanis imperator electus est. Romani iubent eum Belgim delere. Post multa proelia, fortuna Martis nunc Caesarem nunc Belgas fovente, Caesar in fine vincit et urbem funditus diruit, multis atrocitatibus perpetratis. Tunc... tunc magna cometas super Belgim in caelo visa est, similis flagello, longa cauda praedita. Sed non solum super Belgim... Nam e septentrione orta, magna sphaera ignis totum caelum urbis Romae percucurrit.

Fabula illa miscet fontes, traditiones, libros trium quattuorve saeculorum et nos docet argumenta scriptorum antiquorum, etiamsi quindecim fere saecula latuerunt, in mente et in corde populi tamen viva mansisse. ■



Prima pagina libri c.t.  
*Die Jeeste van Julius Cesar*

(1) Epitome capitis IX libri professoris W. Braekman, *Hier heb ik weer wat nieuws in d'hand*, Gand. 1990, ISBN 90-72931-13-0, cum permissu editoris, "Stichting Mens en Cultuur", Groot-Brittanniëlaan, 43 - 9000 Gent, 639 p.

# MUSA MUSICES (PARS TERTIA)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

**11. IOS. ROSSI, ANTONIO TAMBURINIO EQUITI  
CANTORI SUI TEMPORIS PRIMO<sup>12</sup>**

Si nunc in cantu illa esset, qua claruit olim  
virtute Amphion Calliopesque genus,  
dum canis, Antoni, velut olim saxa coirent  
rumperet ac Stygius ferrea iura Deus.

**12. ALOIS. CHRYS. FERRUCCIUS, AD IOACHIMUM  
ROSSINIUM<sup>13</sup>**

Sic aetate graves sumus et regione locorum  
diversi, semel ut forte coire simul,  
colloquio breviter facere inter nos et abire,  
laetificum pariter luctificumque foret.  
Ergo (quod miserum est et vix utrimque feren-  
dum)  
aut numquam aut semper nos simul esse  
deceat.

**13. HENR. HARDERUS, IN DUOS SPADONES CAN-  
TORES<sup>14</sup>**

Garrit in auriculam cantori cantor, at alter  
«Non opus est», inquit, «nam sine teste  
sumus.»

**14. CONST. HUGENIUS, EPITAPHIUM VAREN-  
NAE NOBILIS GALLI, MUSICI ELEGANTISSIMI<sup>15</sup>**

Orpheiam terris animam raptura Varenae  
impia cum foderet nobile sica latus,  
creditur, ocluso voci pulmone, canorum  
vulnus olorinis ingemuisse modis.  
Mittite, qui vestro tegat hic de marmore, The-  
bae,  
aurito pueri Musicus ossa lapis.

**15. IO. IOV. PONTANUS, TUMULUS FULCI FER-  
RARIENSIS MUSICI MAXIME CELEBRIS<sup>16</sup>**

Bistonii anne senis sonat hic lyra? Bistonis  
anne  
quae traxit silvas horridaque antra chelys?  
At neque Bistonii senis est lyra, sed lyra Fulci,  
quae mulsit iuvenum pectora, quaeque  
senum,  
assonuit cui, Peneo persaepe relicto,  
Delius et carmen flebile iunxit amans,  
assonuit cui Cylleni testudo, et amantum  
deflevit curas, flevit et ipse suas.  
Nec nunc muta silet Fulci lyra; Fulcus et ipse

non silet, at Stygias carmine mulcet aquas.  
Dum sonat, Elysiae ludunt ad plectra puellae,  
dum canit, ad numeros quaeque puella  
canit,  
nec sentit Tityus rostrum nec vulturis ungues,  
nec ferox ad portas Cerberus ipse latrat.  
Dum vixit, Fulco regum plausere theatra;  
nunc plaudit Stygii flebilis aula dei.  
Vive igitur plausus inter choreasque silentum  
aeternum et valeas, perpetuumque cane.

**16. IO. IOV. PONTANUS, TUMULUS PERINELLI  
MUSICI INSIGNIS<sup>17</sup>**

Plectra iacent sine honore, lyrae sine honore  
sepultae,  
et citharae et cantus et sine honore tuba,  
sibilaque arboribus desunt et murmura rivis,  
destituit tacitas ipse susurrus apes.  
Sola avium veteres servat philomela querelas,  
sola et hirundo novos suscitatur ore modos;  
hae, Perinelle, obitum luctu testantur, at illa  
sordent et nimio muta dolore tacent.  
Sume lyram in tumulo, Perinelle, et plectra  
moveto:  
iam lyra, iam citharae, iam tuba et ipsa  
canet,  
sibilaque arboribus strepitent et murmura ri-  
vis,  
iuverit atque alacres ipse susurrus apes.  
Quo tumulo, Perinelle, iaces, tecum iacet  
omnis  
et sonus et cantus, auraque voxque silet.

**17. ERYC. PUTEANUS, FATUM MUSICAE<sup>18</sup>**

Fari quis vetat aut vetat fateri,  
indoctus nisi, bardus atque blennus,  
quondam munere Musicam deorum  
caelo terrigenis datam, sed orbis  
et aevi vitio malignioris  
contemptam repedasse? Turpe dictu:  
ars postquam periit, placere coepit  
et quivis stimulis premi relictis,  
non postliminio ut melos vetustum  
caelo duceret, at superbiore  
suppleret studio melos vetustum.  
Sic ars nata notha est placetque nata.  
Fari quis vetat aut vetat fateri,  
indoctus nisi, bardus atque blennus?





**18. PHIL. MENZELIUS, LAUS MUSICAE<sup>19</sup>**

Musica curarum requies, medicina laborum,  
laetificum vitae nectar ex ambrosia.  
Nil sapit humanum, cui non sapis ipsa, sed  
idem  
aut Deus aut toto est pectore et aure laps.

**19. PHIL. MENZELIUS, IN EFFIGIEM PHILIPPI  
DE MONTE MUSICI CAESAREI<sup>20</sup>**

Ten, symphoniacae video lux aurea Musae  
de patrio nomen Monte, Philippe, gerens?  
Threicius silvas et saxa sequentia vates  
fingitur arguta detinuisse chely.  
Falsa tamen veris quantum concedere par est,  
hoc etiam Orphea laus tua maior erit.  
Nam potes augustas tu Divi Caesaris aures  
doctaque flexanimis saecula movere sonis.  
Tam fluit excultum modulato gutture carmen,  
festivum decorat gratia tanta melos!  
Sive loci genio, seu certo id sidere fiat,  
haec propria est patriae musica palma tuae.  
Cantandi summos namque extulit ante magis-  
tros  
teque dato antiquum prorogat illa decus.

**20. IOS. TUSIANI, BRAHMS (POST EIUS «GER-  
MANICAE REQUIE» AUDITIONEM)<sup>21</sup>**

O felix sonitus, tam tegis intimum  
pectus nostrum, ut amor possit oririer  
ex terrae tremulis frondibus omnibus  
et solis faciat futilem originem.

Noli umquam in trepido pectore cedere,  
o fons harmoniae, sed flue melleus,  
aut me fac citharam quae minimum queat  
tantae laetitiae fundere spiritum.

**ADNOTATIUNCULAE**

(12) Fons: N., "Epigrammi del cav. Giuseppe Rossi di Faenza", Opuscoli religiosi, letterari e morali, 12 (Mutinae, 1862), p. 159; usi sumus exemplari Lovaniensi. Iosephus Rossus Faventinus eques Hierosolymitanus idemque poeta Latinus, cuius carmina saec. XIX pluries edita et Italice sunt versa, cantorem celebravit conterraneum, nomine Antonium Tamburini (1800 - Nicaeae ad Varum, 1876).

(13) Fons: Opuscoli religiosi, letterari e morali, 8 (1866), p. 317 (cf. adn. 12). Aloisius Chrysostomus Ferrucci Lugiensis (1797-1877) praeclarus erat bibliothecae Mediceo-Laurentianae custos; erat ei frater Michael nomine (1801-1881) Latinus et ipse poeta. Ioachimum Rossini (1792-1868) musurgum quis est qui ignoret?

(14) Fons: Deliciae quorundam poetarum Danorum collectae, in II tomos divisae a Frid. Rostgaard (Lugduni Batavorum, 1693), II, p.

273; usi sumus exemplari Lovaniensi. Henricus Harderus Hafniensis (1642-1683) Audoeni epigrammata (cf. adn. 5) est imitatus.

(15) Fons: De gedichten van Constantijn Huygens naar zijn handschriften uitgegeven door J.A. Worp, 2: 1623-1636, (Groningae, 1893), p. 231. Hugenius Batavus ob carmina tam Neerlandica quam Latina etiamnunc claret. Varena quis fuerit non liquet; at cantor Francogallicus eo nomine praeditus Harlemi vivebat circa ann. 1640; hoc autem epigramma anno 1631 lusum. Vv. 5-6 laudavimus ex Hugenii libro, c.t. Momenta Desultoria; legitur autem in poetae codice autographo: Et misisse aliquis lapidem de marmore Thebas / aurito, pueri qui tegit ossa, neget.

(16) Fons: Ioannis Ioviani Pontani Carmina. Testo fundato sulle stampe originali e riveduto sugli autografi (...) a cura di B. Soldati, II: Ecloghe - Elegie - Liriche (Florentiae, 1902), pp. 183-184. Pontanus Italus (1429-1503), poetarum Latinorum saec. XV facile princeps, Fulcum Bonacosa musicum (fl. Neap. 1480-1490) videtur praedicasse: cf. G. Parenti, Poeta Proteus alter. Forma e storia di tre libri di Pontano, Quaderni di «Rinascimento» IV (Florentiae, 1985), p. 49 adn. 108.

(17) Fons: *ib.* (cf. adn. 16), pp. 185-186. Perinellum (Perrinetto? Pernecto?) organarium fuisse Venetianum suspicatur G. Parenti, *ib.* (cf. adn. 16), p. 49 adn. 112.

(18) Fons: Erycii Puteani Musarum Ferculum: Carmina eius selecta (Lovanii, 1622), pp. 32-33; usi sumus exemplari Lovaniensi. Puteanus (Venloae, 1574 - Lovanii, 1646), elegantiarum Latinarum magister, professor Mediolanensis et (Lipsio mortuo) Lovanienis, pauca reliquit poematia; soluta vero oratione scripta supersunt plura quam quae unum legas intra annum.

(19) Fons: G. Van Doorslaer, La vie et les oeuvres de Philippe de Monte (Bruxellis, 1921 - Hildeshemii et Novi Eboraci, 1980), p. 298 (exscriptum e Carminum Philippi Menzelii (...) libris quatuor (Ingolstadii, 1596). Menzelius poeta idemque medicus (1543-1613) Ingolstadii docebat.

(20) Fons: *ib.* (cf. adn. 19). Philippus de Monte (Mechliniae? An Montibus? 1521 - Pragae, 1603) musurgus etiamnunc clarus.

(21) Fons: Iosephi Tusiani Neo-Eboracensis In exilio rerum. Carmina Latina collegit atque edidit T. Sacré, Bibliotheca Vitae Latinae, (Avenione, 1985), p. 13. Tusiani (° Sancti Marci in Lamis, 1924) poeta trilinguis (pangit enim Latine, Anglice, Italice) *Melissae* legentibus bene notus. Nemo autem non novit Iohannem Brahms (Hammaburgi, 1833 - Vindobonae, 1897) musurgum. ■

# DE CONVICTU MULIERUM VIRORUMQUE IN ORBE TERRARUM ISLAMICARUM

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

*Ex superioribus Melissa fasciculis patet res Islamicas non paucorum lectorum interesse. Popularem nostrorum plerique pauca vel incerta sciunt de religione moribusque Mahometanorum. De quibus in animo habemus nonnullas res in lucem proferre, quae sigillo veritatis signentur. Imprimis de statu mulieris apud Mahometanos referemus opiniones non nostras sed hodierni historici diurnarii Mahometani ex Algeria oriundi, c.n. Slimane Zeghidour.*

Nemo est qui nesciat anno 1979 in Irania magnam rerum mutationem factam esse: imperium stirpis Palhevi abolitum est, in cuius loco Ayatolla Khomeiny rem publicam Islamicam instituit. A quo tempore fiunt singulis Veneris diebus preces publicae et in viis et in studiorum universitate.

Non pauci Teheranenses stomachati sunt, cum die 30 m. Novembris anno 1990 hortationem audivissent, quam inter preces palam protulit praeses rei publicae Islamicæ, Ayatolla Ali Akbar Rafsandsani. Hic enim populum Islamicum hortatus est «ut facilius satisfaceret libidini sexuali; licet, aiebat, concumbere extra matrimonium.»

Quae verba, etsi videantur improba, tamen non discrepant cum doctrina Islamica, in qua libido sexualis maximum tenet locum: harmonia enim ordinis divini nititur in coitu masculini et feminini; universa scinduntur in masculina et feminina; universae creatae res nascuntur e pari; Alla solus, omnium creator, est impar, Unicus Impar. Unitas divina atque unio sexualis pertinent ad eandem theologiam. Maxima tamen difficultas oritur ex eo quod Mahometana doctrina una ex parte homines incitat ad coitum eroticum iterandum sed ex altera parte mulieres a viris rigide segregat. Libidini enim satisfacere non licet Mahometanis viris nisi secundum certam regulam, quae vocatur «nikah»; quo uno vocabulo Arabice designantur et coitus et matrimonium. Inter Mahometi dicta legimus hoc: «Vir caelebs est frater diaboli.» Vir enim, qui coire neget, divinae creationis harmoniam non testificatur; paradisum non intrabit et vita aeterna non fruetur, cum coniunctione masculini et feminini delectari non possit.



*Poemata Omari Khayyam delicias paradisi Mahometani praefigurant.*

Inde facilius intelleguntur verba Ayatollae Rafsandsani supra relata. Nam complura centena milia iuvenum mulierum sunt in Irania quae, bello contra Iraqiam viduae factae, libidine sexuali privantur invitae. Rafsandsani tantum restituit antiquam Mahometanam consuetudinem, quae vocatur «matrimonium libidinis causa». Si quis ergo obiter cum quadam femina coire cupit, sufficit ut propositum suum coram duobus testibus Mahometanis patefaciat; idem faciendum erit post coitum ad matrimonium dissolvendum. Quo artificio prostitutio fit licita et legalis in Irania.

Post hoc eventum narratum inquirendum est quid de muliere statutum sit in religione Mahometana. Orbis tamen Islamicus tantus est ut diversae gentes religionem diversimode necessario interpretentur.

Nobis fingere possumus religionem Islamicam ex tribus circulis concentricis constare.

Minor circulus continet doctrinam quae ad Coranum (i.e. Verbum Dei) atque Sunnam (i.e. Usus Mahometi) pertinet; communis est Mahometanis universis.

Latior circulus continet omnes canonicas interpretationes, in quibus nituntur praecipui Islamici rami (Sunnitae, Siitae, Kharedsitae etc.) atque eorum partes (Chafeitae, Hanafitae, Hambalitae et Malakitae qui sunt partes Sunnitarum; Ismaeliani, Alauitae et Druzi, partes Siitarum).

Tertio maximoque circulo includuntur consuetudines ante Mahometum ortae, quae exstirpari non potuerunt atque vigere pergunt multis in locis apud varias gentes.

Ergo primum tantum circulum considerabimus. Quid ibi docetur de statu mulieris? «Mulier est in potestate viri» (Coranus 4,34). Viri enim uno gradu praecedunt mulieres, cum Eva post Adam atque ex eius corpore creata sit; mulieres tamen habent animam atque in paradisum accipientur.



*In Arabia hodierna, mulieres nigris ricis totae obtectae ambulant sicut phantasmata.*

Mulieres in domibus secludantur oportet; nam «deo propior est mulier, quae domi vitam degit» (dictum Mahometi).

Matrimonium est unicus exitus, quo feminis quaedam dignitas afferatur. Status tamen matrimonialis confirmat mariti praestantiam uxorisque pupillatum iuridicum. Viro licet uxores habere usque quattuor. Solo marito licet matrimonium dissolvere.

Matrimonium Islamicum non est sacramentum, sed solum contractus, quo legale fit commercium sexuelle inter maritum et uxorem. Nulla tamen est bonorum communitas in iure Islamico; licet uxori sua bona procurare.

Libidinoso coniugum commercio laetificatur Alla: «Quotienscumque coitis eleemosynam facitis» (Mahometi dictum). Propheta credentibus viris suadet ne in uxores insiliant sicut bestiae, sed eis potius blandiantur easque mulceant atque curent ut earum sensus omni dulcedine perfundantur. Commendatur praesertim Veneris die et pridie eundem diem coire, sed etiam saepius et tantum, quantum indiget uxor, ne honesta servari nequeat. Contra ab uxore abstinere amplius quattuor mensium est peccatum. Ad summam religio Islamica neque solitariis neque ascetis indulget.

Aliter vero res se habent, cum agitur de commercio sexuali extra matrimonium; fornicatio (Arabice «zina») ducitur ut unum e maximis sceleribus religionis Islamicae. Tam inexpiabile est hoc scelus ut, secundum legem Islamicam (Arabice «charia»), noxius capite damnandus sit atque lapidandus. Oportet tamen reus scelere convincatur a testibus adultis, Mahometanis atque honorabilibus, qui autument se membrum virile fornicatoris vidisse «sicut stilum in vasculo collyrii».

Licet Mahometano viro Iudaeam vel Christianam uxorem ducere, cum hae pertineant ad «gentem Libri»; earum tamen pueri necessario fient Mahometani. Contra, feminis Mahometanis non licet viro non Mahometano nubere.

Mulieres habentur ut tentatrices, etiam invitae. In Corano legitur discordiam inter viros gigni propter earum pulchritudinem, vocis melodiam vel odoris suavitatem. Quare oportet earum corpus amplis vestibus obtegatur caputque rica. Uno vocabulo Arabico «hidja» designantur et feminarum rica et earum conclusio in domibus.

Propter has inferiores mulierum condiciones, virorum Mahometanorum mens decursu saeculorum propensa facta est ad libidinem sexualem atque imbuta est sua «naturali» superioritate; soror, uxor, concubina tractantur modo paterno; mater sola est reverenda.

Cum mulieres in domibus concludantur et, si quando foras exeunt, totae velis obtegantur, nulla viris est occasio mulierum conveniendarum, ne spectandarum quidem, praeter uxorem, id quod non paucis est molestum. Quae cum ita sint, multi

sunt paedicatores in regionibus Mahometanis. Hac in re ex ipso Corano oritur quaedam ambiguitas, cum credentibus promittatur eos in paradiso a pulcherrimis pueris ministratum iri. Non desunt «ulemae», poetae sultanique qui nixi sunt in his Corani versibus ut suis homosexualibus inclinationibus indulgerent. In Sunna tamen paedicare vehementer condemnatur ut patet ex hoc Mahometi dicto: «Si in duos viros incidistis qui peccatum gentis Loth committunt, eis ambobus et actiuo et passiuo vitam auferte.»

Ad hanc relationem concludendam pauca addam. Credant quaeque gentes id quod lubet, dum ceteris non noceant. Islamismus vero est religio quae non solum totam civium societatem communiter regere vult sed feminas in servitutem redigit easque iubet pueros gignere quam plurimos. Quo efficitur ut in regionibus Mahometanis pullulascant iuvenes sine quaestu et sine spe, ut in Europae regionibus, quo migrant Mahometani, multo celerius multiplicentur quam hospites, id quod revera est quaedam forma belli. Si inter populares nostros supersunt qui credant sententiam «crescite et multiplicemini» nostris temporibus adhuc valere, cogitent summam causam planetae nostrae pollutionis esse effrenatum hominum incrementum. ■

#### VOCABULARIUM ISLAMICUM

*Alla(h)*: in Corano legitur (7,180) «pulcherrima nomina Allae convenire». 99 nomina in scriptis traditis reperiuntur, inter quae «Lux, Dux, Dives, Bonus, Iustus, Sapiens, Pax» etc. Centesimum tamen nomen arcanum est; tantum in Ultimo Iudicio revelabitur.

*Alla Akbar*: «Alla est maximus.»

*Baraka*: in sermone profano: praemium, corollarium; in sermone religioso: gratia.

*Charia*: in sermone vulgari: via; in sermone religioso: ius fundamentale, quo regitur vita credentium. Ortum est e Corano et Sunna.

*Cheikh*: «senex», senior, vici primus sive dux tribus.

*Cherif*: «nobilis», e stirpe Mahometi generatus.

Titulus principum Hachemitarum, qui Meccae regnaverunt a X saeculo usque ad annum 1924.

*Dar-el-Islam*: «Domus Islami», id est totus terrarum Mahometanarum orbis.

*Dhimmi*: Iudaei et Christiani, qui vitam degunt in terra Islamica; eis licet suam religionem colere sed non licet proselytos facere.

*Djihad*: «conatus», certamen in via Dei ad Islamum promovendum. Maior «conatus» consistit in certamine credentis contra suas malas inclinationes; minor «conatus» est proelium contra hostes Islami.

*Emir*: «is qui imperat», princeps, dux.

*Hachemitae*: familia tribus Koraychitarum, quae nomen trahit ex progenitore Hachem, abavo Mahometi. Regnavit Meccae a X saeculo usque ad annum 1924. XX saeculo reges eiusdem familiae fuerunt in Iraquia et Iordania.

*Hadith*: «dictum» prophetae vel narratio gestorum exemplarium prophetae.

*Hadj*: «festum», «pompa», peregrinatio annua ad Meccam.



*Intolerantiae religionis Mahometane hodiernae innumerabilia sunt documenta. Hic patet in via qua ducitur ad Meccam.*

*Hanbalitae*: una ex scholis iurisprudentiae Sunnitarum; eius rigor est maximus; eam sequuntur Vahabitae, qui Arabiam Sauditam regunt, atque nonnulli motus «integratarum».

*Hanefitae*: vetustissima schola iurisprudentiae Sunnitarum. Viguit officialiter in imperio Turcorum Ottomanorum atque adhuc praevallet in Turcia.

*Haram*: «sacer», «prohibitus»; pertinet ad mesquitam Meccanam, ad Meccam et regionem urbi vicinam; etiam ad sepulcrum Mahometi Medinae

necnon ad spatium ambarum mesquitarum Hierosolymitanarum.  
*Hegire*: «separatio»; discessio Mahometi a Mecca, qui Medinam petit (anno 622). Initium aerae Mahometanae.  
*Imam*: «dux ordinis»; is qui ordinat preces in mesquita.  
*Islam*: fidenter Deo obsequi. Mahometani sunt etymologice «obsequentes».  
*Quibla*: directio Meccae, quae in mesquitis indicatur columbario speciali c.n. «mirhab». Mahometi fideles saepe dicuntur «gens Quiblae».  
*Ramadan*: mensis nonus anni Mahometani; quo mense propheta accepit revelationem. Ieiunio

rituali celebratur.  
*Sunna*: «traditio» dicatorum rerumque gestarum prophetae, in qua nituntur ulemae ad legem Islamicam (charia) definiendam.  
*Sunnitae*: Mahometani, qui Sunnam sequuntur.  
*Sitae*: Mahometani, qui duces religiosos solum agnoscunt eos qui stirpis sunt prophetae generi c.n. Ali.  
*Ulema*: is qui callet «ilm», id est scientia textuum sacrorum, atque dignus est qui eos commententur.  
*Umma*: communitas credentium Mahometanorum.

---

## DE DOCTRINA ISLAMICA

LECTORES DISPUTANT

*Dolemus quod Melissa nostra minor est quam ut in totum possit referre omnes lectorum sententias - hoc enim argumento videntur animi esse incensil! Quare sententiarum nonnullas excerptimus:*

CLEMENS DESESSARD FRANCOGALLUS:

(...) Nonnulla quoque bona in Corano forte legi possunt. Sed nonne in Occidente adsunt qui, fictis rationibus nitentes, «Bellum Sanctum» aliud esse ac in Corano scriptum est opinentur? Exempli gratia Guilelmus Andreae respondere (Melissa 41, p.15) non dubitavit: «Bellum Sacrum enim id est, quod contra sua quisque vitia agit...» Mea quidem sententia, illa Occidentalis interpretatio scriptis Coranicis - quae non sunt semper clarissima - nimis est indulgens. Multi enim in Occidente hodierno institutiones patrias iniuste vituperare solent, externas autem pravius et iniustius laudare.

Etiam si Guilelmus in novissima epistula sua (Ibid. p.15) rectissime scripsit: «Saddam Hussein recte ac iure homicida fur sicarius appellari potest - sed haec contumelia qua dignus esse videtur cum religione confundi non potest...» cur nos in confusionem inducit eiusdem argumenti oblitus, tales sententias scribendo ut: «Quis nescit philosophos Araborum fuisse optimos et sagacissimos? Solos Avicennam et Averroem afferre nobis licet...» (Ibid.). Scientia vero, etiam apud Arabes, cum religione confundi non debet. Invasiones enim

Arabicae cultum civilem antiquum everterunt, et contigit ut illa mutatio, propter causas minime religiosas, nonnumquam litteris scientiae artibus faveret. Sed horum paucorum bonorum, quae cum tumultu Islamico sparsa sunt, versus Coranici nullo modo sunt causa efficiens. Praeterea, ex illis philosophis Arabibus dictis, quot fuerunt Arabes germani, et quot, in inquisitionibus suis, praecepta Islamica rite observaverunt?

Hac disputatione remissa, Islamismum paucis verbis cum ambabus religionibus e quibus ortus est conferamus.

Utrum Christianismus Iudaismi mutatio in peius an in melius fuerit, dubitare fortasse licet: experientia enim freti, non ignoramus omnium generum mutationes - vel etiam a Patribus Conciliaribus religiosissimis decretas - haud semper in optimum evasisse!

Attamen, si Novi Testamenti - quod religionis Christianae est monitor - editionem seriam inspicimus, innumerabilia indicia videbimus, quibus adiuvantibus scripta evangelica, et inter se, et cum Vetere Testamento - id est Biblia Iudaica - conferre poterimus. Inde lucide patebit scriptores Evangelicos religionem Iudaicam, unde ortus est Christianismus, optime novisse. At hoc nobis sufficit:

utrum Christianismus bonus sit an malus alia est quaestio!

Si autem Coranum legimus (in bona quoque, sicut decet, editione<sup>1</sup>), non solum, indicibus deficientibus, multo difficilius libri versus cum Vetere vel Novo Testamento conferre poterimus, sed mox patebit eius auctorem, etsi nonnulla de Abrahamo, Iosepho, Moyse, Iesu Mariave Virgine non ignorat, de multis tamen maximi momenti, sicut de Salomonis libro «Ecclesiastes», qui monumentum sapientiae habetur cum apud Iudaeos tum apud Christianos, nihil scire videri.

Quae scientia imperfecta minime neglegenda deploranda spernenda esset, si eius doctores nihil aliud quam Arabiae paganos rudissimos (quorum capita secunda sunt, etc... secundum Suram 47,4 ibidem citatam) aliquantulum erudire cupivissent.

Sed talis est superbia humana ut Corani fautores istam sapientiae et erroris mixturam veritatem esse transcendentalem contenderint, totumque per mundum provehendam.

Doctrina enim Islamica in contradictione tæterrima nititur: sapientia universalis Corano contineri dicitur, Coranus autem partes tantum continet sapientiarum Biblicae et Evangelicae, quae ipsae numquam superbire ausae sunt quod totius mundi sapientiam continerent. At, inter alia, propter illam solam contradictionem, Bibliotheca Alexandrina a Mahometanis quondam deleta est!

Praeterea Islamismi vacuitas theologica, quae in Guilelmi Blum prima symbola iam evocata est (Melissa 39 p.14), facile confirmari potest: e quinque sententiis, quas omnis Mahometanus credere debet, quattuor in compluribus religionibus inveniri possunt: prex, eleemosyna, ieiunium peregrinatioque ad Loca Sacra. Itaque, easdem observando, Mahometanus nec peior nec melior quam Iudaeus vel Christianus fieri dici potest.

Sed quid de illa sola sententia quae religionis Islamicae est propria? Pars eius prior, "Non est deus nisi Alla", cum "Alla(h)" vox sit Arabica quae eadem est ac "Deus", et etiam a Christianis in ritu suo Arabico eodem sensu usurpetur, haec prima imprecatio nihil aliud est quam tautologia.

Pars autem altera, "Muhamad est Dei (sive Allae) propheta", confusio est inter rem quandam universam - i.e. omnes Dei prophetae - et eiusdem rei universae partem minime unicam - i.e. Muha-

mad - de cuius propheticis virtutibus diversimode sentire licet. Exempli gratia, Salman Rushdie, qui in libro de "Versibus Satanicis"<sup>2</sup> eum (trans personam "Mahound") vocavit "Prophet Messenger Businessman", i.e. "Propheta Nuntius Negotiator", divagationes eius, vel sexuales, tanta truculentia evocavit ut ab Ayatollis morte damnatus sit!

Quamquam de virtutibus cum theologicis tum humanis orationis Dominicae, quae verbis "Pater noster" incohatur, disputare quoque liceat, huius usus cottidianus Paci in Terris multo magis favere videtur quam reiteratio quintuplex illius formulae vacuissimae... etiamsi trium litterarum radix Semitica SLM, in qua nituntur verba Arabica "salam" et "Islam", pacem designat!

Ex illis defectibus contradictionibusque nihil boni exspectandum est, nisi fanatici et «Belli Sacri» perversi, quod, a Propheta Nuntio Negotiatore quodam olim indictum, nondum extinctum est, causae radicitus supprimantur.

Respondeant aliqui: «Nonne melius sit nos fidem illam amplecti, ita ut omnes homines pace tandem Islamica diutissime frui possint?» Haec est omnium pessima solutio, quia illa religio - si tali verbo in hoc casu uti licet -, sicut experientia nos iam docuit, vel bellis externis victoria sua nondum conclusis, bella etiam intestina propter naturam suam depravatam non gignere non potest.

Itaque tertiae quaestioni «possitne institui libera res publica in regione Mahometanorum quaeritur», quae in prologo Guilelmi Blum symbolae legitur (Melissa 39, p.14), responsio est evidens: nulla est causa cur libera res publica in regione Mahometanorum institui possit... nisi defectus errores contradictiones religionis Islamicae radicitus eliminentur! ■

(1) Corani editiones in quibus nitimur:

- *Le Coran, Traduction intégrale par Edouard Montet*, Ed. Petite Bibliothèque Payot, Parisiis, 1958.

- *Essai d'interprétation du Coran Inimitable* (sic), Textus Arabicus et conversio in Francogallicum a D(enise) Masson, revue par le Docteur Sobhi El-Saleh, Ed. Dar Al Kitab Allubnani, Beyrouth, vel Gallimard, Parisiis, 1967.

(2) Salman RUSHDIE, *The Satanic Verses*, Ed. Viking, Londinii, 1988 (p.118).

## DOMINICUS VICECONTI ITALUS:

Legi in Melissa 41 responsum Guilelmi Blum ad Andream Flour de rebus gestis ab Arabis.

Addo quod etiam in Divina Comoedia Dantis, quamquam Mahometum et eius sectatores damnat in Inferno (Cantus XXVIII), Avicennam et Averroem inter virorum magnorum umbras, quae Christum non cognoverunt, ponit. Praeterea inter heroes Latinos Saladinum ponit, solum reclusum quoniam contra Europaeos pugnavit. ■

# DE PRINCIPIIS REI PUBLICAE ISLAMICAE

SCRIPSIT GUILIELMUS BLUM

In Corani libro permulta quae ad theoriam politicam spectant legere cum liceat, paucas tantum sententias huc afferam.

1. «Ecce, peiores pecoribus sunt qui non in Allam credunt. Cum bello eos captivos ceperis, pelle omnes qui hos sequebantur et mone eos, ut mentes vertant et animos! Ne umquam sis arbitratus bello esse victuros illos qui non credunt! Quid? Immo orate et instruite omnibus rebus necessariis copias vestras, ut terreantur Allae inimici et hostes vestri!»
2. «Corani liber nihil aliud est nisi adhortatio totius mundi.»
3. «Mahomet est Allae nuntius: ipse Mahomet missus est a deo et ad populos regendos et ad religionem veritatis propagandam, quae veritatis religio dubium non est quin omnes ceteras religiones devictura sit.»
4. «Pugnate cum infidelibus, qui neque in Allam credunt neque in Novissimum Diem, donec tributum vobis ferant»: quam suram nonam (§ 29) et contra Iudaeos et contra Christianos et contra infideles directam esse quis dubitat?

Alia afferre exempla quamvis longum sit, tamen de bello sacro aliqua verba proferre licet. Primo enim est bellum illud sacrum de quo Corani liber docet pugna hominis interior, cum homo contra vitia sua pugnat. Deinde bellum illud sacrum dicitur bellum contra hostes religionis perpetrandum, sed ut repetam: primo loco significatur hoc verbo famoso bellum hominis contra sua vitia interius.

De bello autem contra hostes sacro legimus in sura quarta (§ 76 sqq.): «Sic pugnet adiuvante Alla, qui terrenam istam pro futura vendiderit vitam. Sive enim occidetur sive victor evaserit, ipsi multa praebebitis praemia... Qui vere credit, pugnat Alla adiuvante... et vos proeliamini cum Satanae amicis, quia Satanae dolus invalidus est atque infirmus.»

Quibus e locis certiores fimus in Corani libro multa esse politicarum rerum praecepta - et Islamicos contra illos pugnare debere, quos infideles nominant, Iudaeos dico Christianos alios. Impatientia igitur imbutam esse illam religionem et pugnandi audacia nemo est qui ignoret. Ut vero contrariam intellegamus opinionem, afferimus sententiam Guigonis Cartusiensis (Sources Chrétiennes 308, p. 164, nr. 204): «Non defenditur veritas, sed defendit. Non enim illa te, sed tu illa indiges.» Christianus igitur vere fidelis sequatur necesse est Christum stantem ante Pilatum: non se defenderat et renuntiaverat omni potestati et potentiae. Econtra Mahometani ad pugnandum

vocati esse videntur.

Primum de theoria et religione et politica cum egerimus, nunc de praxi agamus. Proferam enim praecepta aliquot in «Constitutione Islamica Iranorum rei publicae» conscripta. Quae constitutio expulso Reza Pahlevi imperatore anno 1979 p. Chr. n. a populo Iranico agnota eodemque anno promulgata est.

1. Incipit textus constitutionis, cum sura quinquagesima septima (§ 25) profertur: «Misimus nuntios cum libro et cum libra, ut homines surgerent pro iustitia.»
2. In textu constitutionis ipso definitur, quid sit res publica secundum veros Islamicos: «Consistit res publica neque in classibus neque in principatu singulorum, sed fit res publica e populi consensu qui et ad religionem et ad sensum ac rationem pertinet: populus enim congregatur ad viam ad finem extremum parandam, quae est via ad deum ducens.»

Ergo theocratia quaedam a constitutione positur, et res publica dicitur esse via qua ad deum eat: quin sic de permixtione rei publicae et religionis agatur dubium non est, vel ut ita dicam, quin res publica paene idem esse putetur atque vis religionis. Quae res et e sequentibus probari potest verbis.

3. «Ad institutiones rei publicae instituendas et fundamenta societatis erigendae iacienda fungentur moderatione et administratione qui vere fideles et probi sunt, et legislatio nitetur in Corano et in Sunna.»
4. «Res publica Islamica est ordo positus in dogmatibus his:

- unitas dei (non est deus praeter deum), unica dei decisio, unica dei legislatio (homines vero se eius dedere voluntati coguntur),
- resurrectio ipsa eiusque vis, qua homo ad deum ire debet,
- iustitia dei in creatione et legislatione,
- Imamatus (= regimen Imamarum) eiusque vis, qua constanter producitur Islamica revolutio.»

Etiam hic alia afferre exempla cum longum sit, tamen lectores spero intellecturos esse, quanto pere in ista Islamica Iranorum re publica inter se commisceantur politicae res et religio. Quanta vero ex hac commixtione eveniant pericula, quis nescit? Ut bene intellegat: non dico hanc rem publicam principaliter esse iniustam vel periculosam, dico tantum periculosam esse istam religionis et rei publicae permixtionem (et in Islamo et apud Christianos et in aliis religionibus!). Fundamentalismus fanaticae hominum multitudinis semper est periculosus - tum vero, cum iste fundamentalismus a moderatoribus rei publicae adiuvatur et extollitur, periculosissimus certe habendus est. ■

# LATINE LOQUI...

## UBI CONDISCATUR



### MELISSAE ITER LATINUM SECUNDUM... ERIT NAVIGATIO! (27/07/91 - 03/08/91)

Post iter aerium Bruxellis-Dalaman, elegantem celocem conscendent participes, qua vecti pulcherrimum antiquae Lyciae litus lustrabunt, ubi maioris momenti situs archaeologicos invisent, qui sunt Xanthos, Patara, Antiphellos et Myra (et basilica Byzantina Sancti Nicolai). Celox iam est completa.

**DOMUS LATINA:** mense Iulio et Augusto nulla erit institutio.

### SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

9 - 16 m. Augusti anno 1991, in BELGICA. **Loci mutatio!** Nam propter inopinatas

causas seminarium non fiet Vestendae sed Bruxellis

Interrogandus est: Gaius LICOPPE, Avenue de Tervueren, 76 - B-1040 Bruxelles. Tel. 02/735 04 08

14 - 20 m. Iulii anno 1991, Morsaci (Morschach) in HELVETIA

Interroganda est: Erica ROTH, Aeschstrasse, 6 - CH-3110 Münsingen. Tel. 031/920823

### SEPTIMANA LATINA

4 - 10 m. Augusti anno 1991, Amoeneburgi (Amöneburg) in GERMANIA

Interrogandus est: Robertus MAIER, Dresdener Strasse, 10 - D-6070 Langen. Tel. 06103-71652

### FERIAE LATINAE

22 - 29 m. Augusti anno 1991 Nicaeae in FRANCOGALLIA. Schedae inscriptionis petantur a:

Clemente DESESSARD, Résidence des Collines, C.9, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu. Tel. 93 49 01 91

### SEMINARIUM VINDOBONENSE

29 m. Iulii - 3 m. Augusti anno 1991 Vindobonae in AUSTRIA. Institutum ab associatione c.n. L.V.P.A.:

Marius ALEXA, Burgstrasse, 3 - D-4712 Werne. Tel. 02389/45334

### FERIAE LATINAE CARINTHIACAE

19 - 26 m. Iulii anno 1991, in AUSTRIA, institutae ab associationibus q.n. Sodalitas et Latinitas.

Interrogandus est: Felix W. Kucher, Josef-Marx-Strasse, 3/1 - A-8043 Graz.

### NOVUM HORARIUM RADIOPHONIAE FINNICAE



	GMT/UTC	kHz.
<b>EUROPE</b>		
Sat 0640	11755, 9560, 6120, 963, 558, 252	(558 and 252 kHz to North Europe)
Sat 1425	21550*, 15185*, 11820**, 11755, 6120, 963, 558, 252	* The Middle East, East Africa ** East Europe
Sun 1850	15185, 11755, 9550, 6120, 963, 558, 252	
Sun 2145	11755, 6120, 963, 558, 252	
<b>NORTH AMERICA</b>		
Mon 1145, Sun 1340	21550, 15400	
<b>NORTH AMERICA, EAST ASIA</b>		
Sun 2315	15430, 15185	
<b>AUSTRALIA, EAST ASIA</b>		
Sat 0820 & 0850	21550, 17800	

More details: Radio Finland, PO Box 10, SF-00241 Helsinki